

DISSE<sup>21</sup>  
TATIONEM IN AVGVRalem  
MEDICO PHYSICAM

DE

# DENTIBVS

QVI

SVB NOMINE DENTIVM HIPPOPOTAMI  
IN OFFICINIS VENEVNT PHARMACEUTICIS  
INCLVTI MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV

A. MDCCXLVII. D. 16. NOVEMBR. H. L. Q. C.

HABENDAM

PRAE<sup>11.</sup>SIDE

D. CAROLO AVGUSTO à BERGEN,

MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO

EIVSDEMQUE FACULTATIS h. t. DECANO

PRO DOCTORIS GRADV

OB<sup>11.</sup>TINENDO

RESPONDENS

CHRISTIANVS MELCHIOR BRÜCKNERVS,

FISCHBACHIO SILESIUS

PUBLICE DEFENDET.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
EX OFFICINA WINTERIANA.

DICERETATIOMEN IN MAGAZINIS  
MEDICO HISTORIA

# DE NITIBAS

INSTRUMENTA MEDICO HISTORICA

ANATOMICA ET PHYSICO-MATHEMATICA

ARCHIVI MEDICO-HISTORICO

COLLECTORI ET LIBRARIIS

ALBANIUS ET C. A. M. VON

REINHOLDUS ET C. A. M. VON

V I R O  
EXCELLENTISSIMO - EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
I O H A N N I E H R E N F R I E D  
T H E B E S I O  
M E D . D O C T . C O L L E G I I M E D I C I E T S A N I -  
T A T I S G L O G O V I E N S I S A D I V N C T O  
F A V T O R I E T A M I C O  
A E S T V M A T I S S I M O  
S . P . D .

C H R I S T I A N U S M E L C H I O R B R U C K N E R V S ,  
F I S C H E B A C H I O - S I L E S I V S .

¶

**N**on antiquatae consuetudinis est profectum nostrorum specimina & alia quaevis ingenii monumenta vel magnorum virorum celebratis nominibus, vel etiam Fautoribus & Amicis inscribere, ut gratum animum pro singulari amore & patrocinio, quo hactenus nos prosecuti sunt, publice testificemur. Eum vero morem secuturo mihi non diu deliberandum erat, cui Patrono & Amico tenuem hunc ingenii foctum, mediocri labore in lucem editum, dedicarem. Tuae enim, Vir Excellentissime, infucatae amicitiae, qua me hactenus amplexus es, & qua mihi licuit Tuo consortio frui, Tuis saluberrimis uti consiliis, me plus debere, quam levidense hoc gratitudinis documentum, publice profiteor. Offero itaque has leves pagellas, easque Tibi dedico & inscribo: ea qua par est observantia rogans, vt hanc gratae meae voluntatis significacionem animo comi & benevolo accipere velis, quo mihi spes supersit, amicitiam & necessitudinem Tecum innitam indies excolendi & conglutinandi. Quod si impetravero me quidem summam votorum meorum attigisse putabo. Deum O. M. ex animo precor, vt Te, Vir Celeberrime, bono patriae, aegrotantium emolumento, praefidio atque ornamento Tuorum florentem diutissime servet, & in dies magis magisque animi & corporis donis cumulet atque exornet.

Vale scrib. ex Academia Viadrina d. XVI. Nov.

CIO. ID. CCXLVII.



§. I.



Q. F. F. Q. S.

§. I.



Nemo forsan mortalium, nisi rerum omnium  
pene ignarus praefraude negabit, historiam  
naturalem ab eo tempore, ex quo ex Eu-  
ropa in omnes mundi plagas, utrasque im-  
primis Indias, navigationes, excursions,  
itinera facta & instituta sunt, adeo esse ex-  
cultam, amplificatam, fabulis repurgatam, verius adsertam,  
ut qui conditionem ejus in antiquorum monumentis tradi-  
tam cum hodierno scientiae naturalis splendore comparant,  
confiteri coacti sint, veteres hac in re, spissa caligine, immo  
cimmerii tenebris obductos vixisse, felicissima autem recen-  
tiorum secula meridiano sole collustrari.

A

§. II.

## §. II.

Ex hac autem scientiae naturalis emolumento, ceu felicissimi sideris influxu, materia medica, quae abstractione a rebus ad usum medicum pertinentibus, quasi particulam historiae naturalis constituit, adeo collustrata & reformata est, ut expunctis mendorum plurimis, relegatis de patria, generatione, & genere productorum naturalium fabulosis narratiunculis, aliam, eamque novam hodie induerit faciem. Utinam vero omnibus numeris esset perfecta & absoluta! Sed o innane votum; ineffabiles quippe & infinitae naturae divitiae innumera serae posteritati relinquunt phaenomena, nobis inaccessa. Mirari itaque desinas amice lector, si quando videoas & historiam naturae & specialius materiam medicam indies corrigi & emendari. Cumque hac vice nobis ad Doctoris Medici gradum adipiscantibus, tenore statutorum Facultatis medicae injunctum sit inaugurale quoddam specimen in publicum edere, satis huic postulato facere credidimus, si *de dentibus animalium, qui sub nomine dentium Hippopotami in officinis veneunt pharmaceuticis,* nostras meditationes publici juris fecerimus. Difficile sane ac spinosum argumentum, cuius etiam sterilitas nos minime deterret, modo conatibus nostris exoptatus, quem praefixum habemus, respondeat successus.

## §. III.

Testibus singulis & omnibus materiae medicae scriptoribus, antiquis aequre ac recentioribus, per dentes hippopotami intelliguntur dentes immanis cuiusdam belluae, Nilii fluvii incolae, olim frequentius, hodie rarerter admodum reperiundae, hippopotami dictae. Omnium animis adeo firmiter inhaeret haec sententia, ut nemo haeret, quantum quidem novimus, de inquirenda hujus rei veritate cogitaverit. Operae pretium itaque facturos nos esse confidimus,

fidimus, si monstraverimus, hanc sententiam minime in veritate esse fundatam, sed dentes sub hoc nomine in officinis periundos rarissime esse hippopotami, frequentissime alterius cuiusdam belluae, rosmari nomine insignitae. Quo certius autem id ipsum effectum demus, opus erit utramque belluam paucis describere, atque notas genericas, quibus ab invicem differunt, enarrare.

## §. IV.

Raritas utriusque belluae inspectionem ocularem haud permittens in culpa est, ut ad testimonium scriptorum configiamus. Ergo de hippopotamo primum acturi, scriptores, qui hic non desciunt sed abundant, dividimus in duos ordines, in illos nempe, qui belluam propriis videre oculis & ex oculari inspectione descripsere; & in illos, qui vel fugitivo oculo hoc animal observantes, vel ex relatione aliorum saepe corrupta & fabulosa descriptionem adorna-re. Nemo forsitan nobis veritati studentibus vitio vertet, quod hac cautela adhibita, veterum auctoritatem & monumenta, vt cunque omni pretio alias majora, hic recentiorum postponamus experientiae, cum in rebus physicis una experientia plus valeat mille rationibus & testimoniis, ipsi experientiae haud superstructis.

## §. V.

Ad auctores qui ex propria experientia hanc belluam descripsierunt, referimus praeter P. BELLONIVM, (a)

A 2

FAB.

- (a) *Lib. de Aquatilibus gallice conscripto, &c forte in peculiari Traictatu de Hippopotamo*, cuius mentionem facit in *Observat. Exotic.* p. 104. quas interprete C. CLV-SIO habemus *Operum T. II.* vbi dicit, se alibi historiam hippopotami gallice & latine edidisse.

FAB. COLUMNAM, (a) qui mortuam belluam; THEVENOTVM, (b) P. KOLBE (c) & paucos alios, qui vivam contemplati sunt, ex quorum relationibus sequentem proin descriptionem autopisae conformem adornavimus.

## §. VI.

Hippopotamus, Equus fluviatilis, primum à Graecis à capitis ex Nilo exferti figura (d) ita vocatus, nomen habet ab ἵππος equus & πόταμος fluvius, Germ. Nil-Pferd. Aliis etiam equus marinus, aliis quoque, qui potius integrum corporis, quam solius capitis rationem habent, βεποταμος. Wässer, Ochs. Angl. the River-horse or River Oxe. Aethiopice Bihat (e) vocari confuevit. Horribilis haec bellua inter amphibia vasta corporis mole & stupendo robore facile primas tenet, quippe quibus Rhinocerotis (f) neutiquam inferior est. In quibusdam (g) longitudine à capite ad caudam est tredecim pedum, altitudo 6. l. 7. (h)

COR-

(a) Observat. de Aquatilibus &amp; terrestribus. cap. 15,

(b) Voyage aux Indes. P. II. chap. 72.

(c) P. KOLBE Beschreibung des Vorgebürges der guten Hoffnung. Nurnberg. 1719. fol.

(d) Putat nempe P. Bellonius. Obs. Exot. l. c. Romanos, licet animadverterint, hoc animal nulla ratione equum referre, dictiōnem Græcam servasse.

(e) Ita correxit CL. LVDOLPH. Hist. Aethiop. L. I. c. 19.

(f) P. KOLBE. l. c. 168.

(g) F. COLUMNA. l. c.

(h) De vera altitudine dubitamus, nam licet longitudinem crurum ventris mensurae addendo septem numerent pedes, &amp; THEVENOTVS l. c. altitudinem cameli haberē testetur, tamen CL. LVDOLPH. &amp; KOLBE expresse referunt hanc belluam rhinocerote humilio-rem esse.

corporis latitudo  $4\frac{1}{2}$ , altitudo ventris, qui potius planus quam carinosus est  $3\frac{1}{2}$  ped. longitudo crurum à terra ad ventrem  $3\frac{1}{2}$  ped. Caput vastum in comparatione totius corporis  $2\frac{1}{2}$  ped. latum, trium longum, ambitu pedes septem crassum, & figura equino (a) magis quam bovino simile, imprimis rostrum ejus, quod equino multo latius est, et instar leonis pilis asperum. Nares ad modum patulae fissuram habent figurae sigmoideae (b), ex quibus bestia terram petens potas aquas (c) fontis salientis adinstar eructat. Oculi (d) & aures admodum parvae incomparatione ingentis belluae molis proportionem vix servant. Dentes in inferiori maxilla sunt sex (e), bini exteriore, longi semi pedem, lati & trianguli pollices  $2\frac{1}{2}$ , per ambitum  $\frac{1}{2}$  pedem, parum retrorsum declives, aduncii (f) cornuum bovis instar, et exserti, me-

A 3

dii

(a) P. KOLBE. l. c. 168.

(b) F. COLVMNA. l. c. (c) P. KOLBE. l. c.

(d) FAB. COLVMNA &amp; P. KOLBE. Et licet BELLO-NIVS l. c. in hippopotamo pullo Constantinopoli viso belluae adscribat magnos oculos, tamen haec sua observatio nullam contradictionem iuvolvit, cum omnia animalia juniora grandiores habeant oculos &amp; grande caput.

(e) P. KOLBE in inferiori maxilla numerat quatuor dentes, quod etiam facit THEVENOT. Sed Dom. de IVSSIEV *Memoires de l' Academie Rojale des sciences* 1724. p. 310, cui ex promontorio Senegal transmissum fuit cranium hippopotami, expresse descripsit sex dentes in mandibula inferiori, sed quorum bini inter extremos & medios  $1\frac{1}{2}$  unciam longi sunt. Cum extremi & medii 4. 1. 5. unciarum longitudinem habeant. Et sic forsitan breves hosce intermedios observare neglexerunt.

(f) F. COLVMNA disertis refert verbis hos dentes non esse aduncos, sed D. DEIVSSIEV contrarium invenit in cranio hippopotami.

di orbiculati, tricorni digitali longitudine. Maxillares utrinque septem crassi lati breves admodum. In superna mandibula, crocodili more mobili (*a*), anteriores sex sunt imis respondentes sed longe breviores. Omnia acies pyramidalis. Molares todidem quod inferni. In utraque maxilla canini & incisores à molaribus spatio trium unciarum separantur. Lingua oris cavitate proportionata & crassa. Colsum breve et crassum. Corporis reliqui vasta moles, ad modum obesa, ejusque si ad figuram attendis, major cum bove quam equo similitudo (*b*). Crura brevia crassa, rotunda, ursinis quodammodo comparanda. Pedes habet pedem latos, quadrifidos, ex digitis vnguiculatis quatuor (*c*), tres uncias latis, constantes. Talus adeat callosus. Bina in inguine vbera, parva, parvis papillis. Cauda brevis, crassa, inflexilis, longitudine  $\frac{1}{2}$  pedis, caudae testudinis comparanda, in extremitate parum pilosa. Cutis animalis coloris est buxei vel Baetici rhinocerotis instar, pilis orbata, vnciam (*d*) fere crassa, ut non vbiique, imprimis vbi laxe incumbit pinguedini & musculis, globulo sclopetario trajici possit. Hinc recte DIODORVS (*e*) de cute hujus belluae scripti: πάντων τῶν Θηρίων χεδὸν νοχύποτατον.

## §. VII.

Ingentem hujus belluae molem & magnitudinem licet ex data descriptione colligere possumus, vastitatem ejus magis

(*a*) Hujus mobilitatis nullam facit mentionem D. de JVSSIEV. l. c.

(*b*) FAB. COLVMNAE l. c. Teste BELLONIO l. c. dicitur porcus marinus, qui parte anteriore bubulam figuram, reliquo corpus suillum repraesentat.

(*c*) JVSSIEV. l. c.

(*d*) KOLBE. l. c. 169.

(*e*) Bibl. Hist. l. 1. s. II.

magis docent, quae in recentiorum scriptis notata inveniuntur. D. DE JVSSIEV (*a*) pondus cranii hujus belluae inventum 45. librarum Gallicarum. D. KOLBE (*b*) testatur carnem & pinguedinem belluae relictis & separatis ossibus a 2500. ad 3000. libras ut plurimum ponderasse. Cum autem Volhyniensis bos probe saginatus detracita pelle cum ossibus communiter pondō quingentarum vel sexcentarum librarum habeat, à vero non multum aberrabimus, si belluae pondus sexduplum majoris bovis abscripferimus, ex quibus vastissima ejus moles patet.

## §. VIII.

Cujus classis ordinis & generis animalium haec bellua sit non adeo temere defini verimus, à vero tamen, ut nobis vistum est, non aberrant, qui bestiam hanc ad classem Amphibiorum referunt, cum teste DIODORO (*c*) *Siculo* sit animal *χερπαιον* terrestre, aequē ac *ποταμουν* fluviatile. Primum autem dentes habere incertos, quod quippe Cl. LINNAEO (*d*) nota jumentorum est, ex historia animalis (§. 6.) non patet, unde sufficienti observationum numero destituti hoc animal jumentorum ordini non adscribimus, sed hoc quidquid est laboris testibus autopidis, & in historia animalium versatis relinquimus. Teste E. WOTTONO (*e*) ab hippopotamo differt alia quaedam bellua, Athiopibus & Indis sub nomine *Eale* cognita, quae cum equo fluviali multis in rebus convenit, sed ab eodem differt, quod caudam habeat elephanti, colorem ex fulvo-nigrum, maxillas aprinas, cornua mobilia cubitalia, quae ad obsequium, cuius velit motus, accommodata sunt, quaequa non rigent, sed deflectuntur, ut usus

(*a*) L. c. p. 311.

(*b*) I. c. 169.

(*c*) I. c. 131.

(*d*) *Syst. Nat. Lugd. Bat. 1739.*

(*e*) *Lib. de differ. animat. p. 81. G.*

usus exigit praelandi. Quam observationem in medio relinquimus cum hodie inter naturalis historiae scriptores non constet, quid sibi cum hoc animali velit WOTTONVS. Neque confundendus est hippopotamus cum leone marino, cuius meminit DAMPIER (a) et KOLBE (b), bellua scil marina ultra 14 pedes longa & juba leonina praedita. Sic & differt Hippopotamus à pisce anterius pedato, quem vulgo Manati, le Lamentin. Germ. eine See-Ruh vocant. Tandem inferius pluribus descripturi sumus, qualis sit differentia inter hippopotamum & rosmarum.

## §. IX.

Quod patriam hujus belluae attinet, toto uno ore pro Nilo et Ægypto pugnat antiquitas, quod eatenus veritati consonum est, quatenus olim exteræ regiones Africæ et Indiae orientalis non frequentabantur. Ab eo vero tempore, ex quo jussu imperatorum Romanorum toties capta et in ludis ac spectaculis exposita fuit haec bellua, in Ægyptum superiorem ad evitandas venatorum insidias, concessit; ita ut AMMIANVS MARCELLINVS (c) jam suo tempore scripserit: „nunc inveniri nusquam possunt, ut consestantes regionum incolae dicant, insectantis multitudinis „taedio ad Biennias migrasse.“ Et inter recentiores alios

(a) *Voyage autour de monde.* p. 105. qui animal ita describit: Sa tête est forte comme la tête du Lion. Sa face large avec plusieurs longs poils aux lèvres, comme un chat. Ses yeux sont comme ceux d'un bœuf, ses dents sont de 3 pouces. Ils n'ont point de poils sur le corps & sont extrêmement gras. Quand ils viennent à terre, trois ou quatre en compagnie, ou d'avantage, ils se couchent côte à eux, & font un bruit terrible. Ils mangent des poissons.

(b) I. c. p. 203.

(c) Lib. 22.

alios (*a*) videoas, qui has belluas in Aegypto superiore unice vivere, alios (*b*) vero, quod ignota penitus Aegypto sit, afferunt. Longe frequentius hoc animal reperitur nonsolum in littoribus Africæ Orientalis aequæ ac Occidentalis, sed et in mediterraneis ejus provinciis, in fluvii Nigro, Nilo supra cataractas, aliisque. Has vidit in Guinea STEPH. van der HAGEN, quem citat C. CLVSIVS. (*c*) nec non PIETER van den BROECK (*d*), Pieter

(*a*) R. P. SICARD. *Memoires des Missions de la Compagnie de Jesus dans le Levant.* T. VI. Paris. 1727. 8. p. 251. hunc in modum scribit: Les Hippopotames ou chevaux marins sont tres communs dans la haute Egypte, sur tout vers les cataractes, a peine en paroît-il, soit au environ de Caire, soit dans toute la basse Egypte.

(*b*) C. D. SCHAVVY. *Voyage de la Barbarie & du Levant &c.* Quand aux animaux, les peuples, qui habitent maintenant l'Egypte, ne connoissent pas seulement l'hippopotame.

(*c*) In *Curis posterioribus.* Rapheleñii 1611. p. 128. In Guinea circa promontorium Capo Lopez van der HAGEN consensa scapha cum aliquot e sociis suis navalibus, adverso flumine navigans versus oppidum Vlibatto, deprehendit in dicto flumine multos hippopotamos s. equos marinos, dimidio maiores, quam sunt terrestres equi, qui ab Aethiopibus ibidem capiuntur, quin & in ipso oppido plurima horum equorum capita monstrabantur, e quibus & aliquot dentes miranda magnitudinis a comitibus ejus relati sunt.

(*d*) In *synen Reysen van Capo Verde, Angola, Guinea collecta int' Begin ende Voorigang van de vereenigde Nederlandse Geestroyerde Ost Indische Compagnie.* Amst. 1646. 4. p. 5. his verbis: d. II. des morgens gaende op het schip wandelen, sagh ik vier zee-paarden op t' land gaen

Pieter BOTH, (a) *Eques des MARCHAIS*; (b) in interioribus Africae autem BALTH. TELLETZ (c), J. LO-

BO

weyden, waer toe ick om de nieuwicheyt gekomen waren, bleven de voorste dieren stil op ons staen sten, ende gingen daer naer voet voor voet nae zee, quamen somwylen met de neusen veder boven: maer als sy ons gewaer wierden duyckten weder onder: wy deden veel listen om een te schieten: maer was te vergeefs doorden subtylen reuck welcke wy presumeerden dat sey mochten hebben. Zyn gelyck groote buffels, gladt van vel, ten naesten by als de robben, hebben hooften als moers-peerdien met corte ooren, wyde neusgatten, twe kromme tanden nyt den mont, als de verckens, hebben corte beenen, en voeten als klawer-bladern, brieschen gelyck de paerden te lande.

(a) Ibid. Voyage naer de Oost-Indien. fol. 17.

(b) *Voyage du Chevalier DES MARCHAIS par le R. R. LABAT*. T. I. p. 113. Il n'y a point de riviere dans toute la côte, ou il y a tant de chevaux marins que dans le Durro ou Riviere de Mesurado, leurs dents plus blanches & plus rares que les defenses des elephans font recherches & plus chères, irem. T. I. p. 102. C'est au cap Mesurado qu'on trouve les belles dents de cheval marin. Imo cum saepius ad littus promontorii Senegal capiantur, tota bellua à mercatoribus senegal vocari consuevit.

(c) In *Historia Aethiopica & Chronicis Parrum Soc. Jes. Lusitano-idiomate conscriptis*, & à LVDOLFF. *Hist. Aeth.* cit: Multi reperiuntur in lacu Tzanico, qui agros vicinos magno segetum damno depauperant, lembunculos subvertunt, & ob id navigationem insularium in illo lacu intutam reddunt, quia hominibus insidiantur. Ignem pavent, ut ferae pleraque, eoque solo etiam à puere in fugam agi possunt. Dan-

*Lo (a), aliique, vt ex his satis sufficienter constet, has belias in tota fere Africa inveniri.*

## §. X.

Ad veterum vbi nos convertimus monumenta, probandum erit nostrum adsertum, quod eorum plerique descriptionem hujus bestiae non ex attenta inspectione sed ex aliorum relationibus adornaverint. Sic HERODOTVS (*b*) antiquissimus historicus huic ferae adscribit pedes bifidos, vngulas bovinas, equinam jubam, caudam & vocem equinam. Eadem iisdem ferme verbis, paucis mutatis, repetit ARISTOTELES (*c*). Neque insciandum C. PLINIUM (*d*), DIODORVM SICVLVM (*e*) suas ex HERODOTO & ARI-

B 2 STOTELE

tur tamen qui venatione illorum se sustentant & carne vescuntur. Corium autem crassissimum ad varios usus, imprimis ad scuta adhibent.

- (a) *Voyage historique d'Abissine* par le R. P. J. LOBO. T. I. p. 132.  
J'ay trouve des chevaux, marins, en traversant le Nil à deux journées de sa source --- Le cheval marin qui ne vit que d'herbes & de branches d'arbres se contente de tuer les hommes. le Crocodile plus carnacier les tue & les mange.
- (b) Lib. II. cap. LXXI. p. m. 116. τετρά πόνι ἔστι, δίχηλοι ὄπλαι Βοός. συμον λοφιην ἔχον ἵππος -- ἐρην ἵππος, καὶ φωνήν.
- (c) Hist. animal: Lib. II. ὁ δὲ ἵππος ὁ ποτάμιος ὁ ἐν Διγύπτῳ, χάιτην μὲν ἔχει ὡςπερ ἵππος δίχηλὸν δέ ἔστι, ὡςπερ Βεβ.
- (d) L. c. L. 8. p. 453. Bellua Hippopotamus est vnguis binis, quales bobus, dorso equi, & juba & hinnitu.
- (e) Bibl. Hist. Lib. I. S. I. p. 31. ὁ δὲ καλέμενος ἵππος ὁ μεγέται, μὲν τοιν ἀκέλαττων πηχῶν πέντε, τετρά πόνι δέ ὡν καὶ δίχηλος παραπλησιώς τοῖς βεστί.

STOTELE mutuatos esse descriptiones. Nullum autem inter veteres accuratiorem in describendo hoc animali invenimus ACHILLE TATIO ALEXANDRINO (*a*). Ex recentioribus EDVARD. WOTTONVS, (*b*) JOH. JONSTONVS (*c*) B. VALENTINVS (*d*) placita veterum de hippopotamo

(*a*) *Eroticor: Lib. IV. Ed. Salmas. Lond. Bat. 1640. p. 221.*  
 ἔτυχον ποτάμιον Θηρίον ἄνδρες τεθηρακότες θέας ἀξιον.  
 ἵππον δὲ ἀυτὸν τὸ Νεῖλον εκάλουν εἰς Ἀιγύπτιον. Καὶ  
 εἴσι μὲν ἵπποις, ὡς ὁ λόγος Βούλεται, τὴν γασέρα καὶ  
 τὰς πόδας, πλὴν ὅσον ἐν χηλῇ σχίζει τὴν ὥπλην. μέ-  
 γεθος δὲ κατὰ βοῦν τὸν μεγεσον, ὥρα βραχεῖα, καὶ  
 ψιλή τριχῶν, ὅτι καὶ τὸ πάντα σώματος ὅτας ἔχει,  
 κεφαλὴ περιφερῆς δι σμικρὰ. ἔγγυς ἵππουν παρειά,  
 μυκτήρ ἐπὶ μεγά κεχινως, καὶ πνεῶν πυρῷν καπ-  
 νὸν, ὡς ἀπὸ πηγῆς πυρος. γένος εὐρεῖς ἀστὶ καὶ πα-  
 πεῖ, μέχρι τῶν προτάφων ανοιγει τὸ σόμα. ἔχει δὲ  
 καὶ κυνόδοντας καμπύλας, κατὰ μὲν τὴν ιδεαν καὶ τὴν  
 θεσιν ὡς ἵππος, τὸ δὲ μεγεθος εἰς τριπλασιον. h. e.  
 forte fortuna viri aliquot fluviaatilem bellum spe-  
 ciatu sane non indignam comprehenderant: quam  
 Nili equum Aegyptii appellant. Reveraque & ven-  
 tre & pedibus, sicuti fama fert, equus est, nisi quod  
 scissas vngulas habeat. Corporis magnitudine maxi-  
 mum quemque bovem aequiparat. Cauda ei brevis  
 est, & pilorum asperitate, quemadmodum corpus  
 reliquum, carens. Caput rotundum, non parvum,  
 maxillae fere equinae, nares perquam patulae, ac  
 ignitum fumum, tanquam ignis scatarigines quae-  
 dam spirantes: mentum latum, quemadmodum etiam  
 maxillae. Oris hiatus ad tempora usque protensus,  
 dentes qui canini vocitantur curvi, forma & situ  
 equinis similes: verum triplo majores.

(*b*) *Opere de Differentiis animalium. Lut. Paris. fol. 1552. p. 81.*

(*c*) *Hist. Nat. Quadrupedum. Francof. ad Moen. fol. p. 111.*

(*d*) *Museum Museorum. fol. Francof. ad Moen. 1704.*

popotamo secuti sunt. Posterior vero in eo graviter errasse nobis visus est, quod scripserit se TH. BARTHOLINI re-latione permotum, hippopotatum jure ad phocarum familiam referre, cum tamen hic auctor de rosmaro, bellua marina, a phocis diversa tractaverit, ut inferius patebit.

## §. XI.

In antiquorum scriptis multa præterea inveniuntur, de moribus, ingenio, et mira hujus animalis sagacitate, quae cum hodiernorum observatorum experientia non aequo confirmentur, neque penitus negare, neque adfirmare audemus. C. PLINIVS (*a*) inquit: noctibus segetes depascitur, ad quas pergit adversus astu doloso, vt fallente vestigio revertenti nullae ei infidiae praeparentur. Venatoribus ad capiendam hanc belluam summa opus esse astutia auctor est laud: ACHILLES TATIVS (*b*). Forte autem haec a veteribus laudata animantis sagacitas ab ejus exquisito odoratu pendet, quo de D. KOLBE (*c*) testatur, quod antequam in littus exit, caput ex undis exferat, & odoratu exploret, an quidpiam ab infidiis hominum metuendum habeat. Ignem & scintillas noctu dentium collisu evomere ratum habet credula antiquitas, sed licet dentes adeo sint duri ut horum collisione scintillas produixerit F. COLVMNA, (*d*) dubitandum tamen hoc solos dentes inter se collisos facere. Ulteriori porro scrutinio relinquimus, quae C. PLINIVS (*e*) habet de hippotamo venaectionis repertore.

A 3

Ad-

(*a*) L. c. p. 317. Conferantur etiam SALMASII Exercit. Plinianae in SOLINV M Lut. Par. 1629. p. 456.

(*b*) L. c. 223.

(*c*) L. c. 167.

(*d*) L. c. c. 15.

(*e*) L. c. L. VIII. c. 26. Hippopotamus in quadam meden-di parte etiam magister existit. Assidua namque

Admiratione autem dignum videtur, quod veteres nullam sexus hujus belluae mentionem faciant & inter recentiores D. KOLBE (*c*) animadvertisat, se nunquam vidisse hippopotamum marem, sed omnes foemellas, nec unquam de capto vel viso masculo ab incolis aliquid audivisse. An igitur mares tam feroce, ut nunquam maris vel fluminum fundum relinquant? curiosum sane problema quod physicis enodandum relinquimus.

## §. XII.

Multa porro veteres aequae ac recentiores de sanguinis, cinerum pellis, testiculorum exsiccatorum usu medico tradunt, sed ut nobis videtur, locus PLINII (*b*), quem plerique scriptorum allegant, non de hippopotamo sed de crocodilo agit, ut proin perperam huic belluae tot vires medicæ tribuantur. Hodie vero nil nisi dentes, licet raro, in officinis reperiuntur, de quibus mox dicendi locus erit. In museis quidem hinc inde affervantur lapides bezoardici ex capite hippopotami (*c*), sed de horum virtute medica nihil constat. Carnes & pinguedinem hujus animantis populos Africæ comedere, imo ipsorum mensis dapum loco apponi, testatur laud. KOLBE (*d*)

## §. XIII.

Satiestate obesus exit in littus, recentes harundinum caesuras speculatoris: atque ubi acutissimum vidit stirpem, imprimens corpus, venam quandum in cruce vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidi alias corpus exonerat, & plagam limo rursum obducit.

(*a*) l. c. 170.

(*b*) l. c. L. XXVIII. c. VIII. it. DIOSCORID. mat. med. L 2. c. 22.

(*c*) Conferatur ALB. SEBAE *Thesaur.* T. II. T. 112. p. 134.

(*d*) l. c. p. 170. Das Fett/mann es ausgeschmolzen, dienet zu Bezeitung anderer Speisen. Dieses Fleisch/ samt dem Speck wird

## §. XIII.

Ex nummis Romanorum ad haec nostra tempora conservatis patet etiam has belluas saepius in ludis & spectaculis populo exhibitas fuisse. Primus eam & quinque crocodilos Romae aedilitatis suae ludis M. SCAVRVS (a) temporeario Euripo ostendit. Pares cum effigie hippopotami & crocodili excudi curavit HADRIANVS (b). ANTONINVS AVGUSTVS PIUS teste CAPITVLINO, elephantes, strepsicerotes, crocodilos, hippopotamos exhibuit; & in numero OTACILIAE (c) SEVERAE, JVL. PHILIPPI Imperatoris conjugis ad seculares AVG. celebrandos, effigies hujus belluae accurate adeo & pedibus quadrifidis sculpta extat, ut merito miremur omnes post Plinium scriptores bifidas belluae vngulas affinxisse. Denique hic reticendum non est hippopotatum in Ægypto inter antiquissimas figuras heroglyphicas reperiri, & non solum fuisse symbolum impudicitiae (d) sed & impietatis (e), jurati nimirum Deorum hostis.

## §. XIV.

vor eine besondere und gesunde Speise gehalten, wenn es nicht von einen alzu alten Thiere, und nicht lange ungefahren gewesen. Der Spec ist nicht so wiederwärtig als Schweine-Spezie.

(a) PLINIVS l. c. L. VIII. c. 26.

(b) BEYERI Thes. Brand. T. II. 668.

(c) EZ. SPANHEMII Diff. de Vsu & præstantia numismatum. Lond. fol. 1706.

(d) PLUTARCHVS de Isid & Osrid. p. 363. refert. ἵπποποταμίων δὲ αἰάδειαν (Φράξου) λέγετος γαρ αποτείνεις τὸν πατέρα, τη μητρὶ βίᾳ μήνυσθαι. h. e. Est symbolum inopudicitiae hippopotamus; namque dicunt, quod occiso patre vi matrem adoriantur & cum ea coeat.

(e) HECAEVS Lib. de Sacr. Phil. Φασὶ τε Τύφωνα ἀντίθεον καὶ αὐτίτεχνον ἵπποποταμοφόρον, μετὰ τὸ Οσυρίδος συνεχῆς πολεμιζειν. h. e. Dicunt Typhonem, jura-

## §. XIV.

Sed ne in alia omnia exspatiamur, dum de dentibus hippopotami aucturos nos esse promisimus pressius nunc incumbendum nobis erit scrutinio dentium hippopotami. Veri itaque & genuini hi dentes, qui forte in Europam transfruntur, sed qui raro vel nunquam in officinis pharmaceuticis iuveniuntur, sunt ex maxilla inferiori hippopotami & sequentibus notis cognoscuntur. Partim sunt recti, partim incurvati vel adunci (§. 6.). Recti sunt incisores medii, cylindrici, crenati, solidi, in fine depresso acuminati, diametri 1½. pollicis, longitudinis decem pollicum, aut circiter. Lateralis exteriores canini adhuc maiores sunt, sed adunci, fere semicirculares, in acumen non mutatum desinentes, diametri circa balin 4. l. 5. pollicum, longitudinis 13. pollices vel excedentis, vel minoris, pro magnitudine & aetate belluae, formae caeteroquin triangularis, cuius angulis latera respondent 1½. pollicem lata. Reliqui molares & maxillae superiores vtpote longe minores, & alveolis firmissime in hærentes raro vel nunquam in exteris regiones mittuntur.

## §. XV.

Altera bellua & quidem marina, cuius dentes in officinis sub nomine dentium hippopotami, sed perperam & falso venundantur, vocatur rosmarus, Russis mors, Germ. & Belg. Walruss. Quoad exteriorem formam similis est phocis s. vitulis marinis, sed molis longe majoris. Pedes habet quatuor, posteriores tamen adeo clumbes & debiles, vt potius ad natandum, quam ambulandum his animalibus dati esse à natura videantur. Vnusquisque pes quinque gaudet vngulis, quae omnes interposita membrana, vt in anserē l. anate cohae-

tum Deorum hostem, ipsorum consiliis contranitem, existere sub forma hippopotami, & bellum gerere adversus Osyridem.

coherent. Caput rotundum & crassum est, ex cuius maxilla superiori deorsum prominent bini magni dentes, modice incurvi, longitudinis a dimidia ad integrum vlnam. Ritus oris rostro bovino similis est, sed fetis hispidus. Nares sunt patulae, ex quibus aquam instar cetorum, sed sine strepitu projicit. Oculi sunt rubicundi & quasi ignei. Cutis imprimis circa collum pollice crassior, rugosa, pilosa & versicolor est. Longitudo animalis novem excedit pedes Rhinelandicos, quandoque plus, quandoque minus. Figuram ejus exhibit OLAVS WORMIVS (a) nec non C. G. SORGDRAGER (b). Cetarii Belgae balaenarum piscatura occupati, has belluas in littoribus Groenlandiae & maris glacialis glacialibus crustis inveniunt, eas verberibus occidunt, magnos istos dentes extrahunt, imo omnem pinguedinem animalis liquant & oleo cetorum miscent. Praeter o. WORMIVM & SORGDRAGERVM hoc animal descripsit quoque JOH. ANDERSON (c) & TH. BARTHOLINVS (d). Differunt rosmary à phocis non solum magnitudine corporis & dentibus prominentibus, quos hae plane non habent, sed & vngulis & capitis figuraque in phocis oblonga est. An igitur rosmarus phocae species est, vt vult CEL. LINNAEVIS (e)? Caeteroquin non probabile est hoc amphiibium ante piscaturam cetorum cognitum fuisse nationibus Europaeis, nisi forsitan Russis, vnde non mirum, quod altum ejus apud veteres sit silentium.

## §. XIV.

Dentes rosmarus praeter magnos istos etiam tres minores in superiore, & quatuor in inferiore possidet maxilla,

(a) *Museum Wormianum.* p. m. 289.

(b) *Grönlandische Fischerey und Wallfischfang.* Leipzig 1723/4.  
p. 238.

(c) *Nachrichten von Island.* Hamburg 1746. 8 p. 230.

(d) *Epiſt. Medic. Cen. III. 291, 8. Haffmae.*

(e) *Syst. Natur. Ed. II.* 1740.

illa, sed qui tanti non aestimantur, ut ad nos perveniant. Majores autem (§. 15.) pondere & longitudine pro aetate animalis mire differunt, cum minores ex his vix libram, majores ad sex libras ponderent. D. ANDERSON (a) duorum, quos in museo conservat, mentionem facit, longitudinis 2 pedum & 1 pollicis, circumferentiae autem circa basin 8 pollicum. Cognoscuntur hi dentes ex longitudine pedal, saepe majori, modica curvatura, striis seu crenis longitudinalibus a basi ad apicem non recta, sed paulum intorte recurrentibus, superficie splendente alba, circumferentia ovali complanata, & soliditate; cavi enim non sunt nisi circa basin.

## §. XVII.

Qui ergo hos dentes cum descriptione dentium hippopotami (§. 14.) comparant, facile videbunt, eos in universum majores esse dentibus equi fluviatilis, incurvos semper, cum & recti in hippopotamo dentur, curvaturam esse minorem, non esse triangulares, neque adapicem ita oblique truncatos; adeoque multum differre averis equi marini dentibus. Interea quotcunque adhuc dum visitavimus officinas pharmaceuticas, nunquam alias sub titulo dentium hippopotami conspeximus dentes, quam qui §. priori descripti sunt. Speramus itaque nos sufficienter probasse, quod dentes in pharmacopoliis sub nomine dentium hippopotami prostant, plerumque, imo semper, cum primis in his nostris regionibus septentrionalibus sint dentes rosmari, non vero hippopotami.

## §. XVIII.

Antequam igitur dissertationi nostrae colophonem imponamus, paucis declarare nos oportet, quibusnam usibus utriusque

(a) I. c. p. 332.

vtrique hi dentes. (§. 14. 16.) destinantur. Nihil jam dicemus de variis usibus mechanicis, quibus ad efformanda gladiorum & cultrorum manubria, & ad lufum larrunculorum &c. adhibentur, sed potius quatenus usum chirurgicum & medicum praestant. Dentes itaque artificiales in locum deficientium quandoque substituuntur à chirurgis, tanto saepe adparatu, ut totum os edentulis iterum armetur, quorum materiam dentes rosmari & imprimis hippopotami, ob naturalem duritatem, soliditatem & nitorem externum constituunt. Ebur enim, nec non aliorum animalium, boum & equorum ossa facile flavescent, & fraudem detegunt. Singularem hanc operationem & modum hos dentes conficiendi docuit P. FAVCHARD (a). Sic quoque ex his dentibus referente ET MULLERO (b), D. MICHAELIS Praetitus quondam Lipsiensis annulos fieri curabat, pollici pedum applicandos, quibus haemorrhoides nimias felici successu compescuit. Interne vero præter laud. MICHAELM CL. ET MULLERVS (c), MINDERERVVS (d), JVNCKERVS (e) specificas horum dentium virtutes, contra quasvis haemorrhagias adeo laudibus extollunt, vt de rei veritate dubitari vix nobis liceat. Non enim, vt nobis videtur istorum virorum hic sufficit sententia, qui nullas remediorum virtutes admittunt, nisi quae à posteriori per quaevis tentamina physica vel analysin chemicam innotescunt. Specificorum enim agendi ratio nec haec tenus legibus mechanicis, nec aliis quibuscumque fanioris physics & chemiae principiis explicari potest. CL. F. HOFFMANNVS, (f) rasurae dentium

C 2

hippo-

(a) Chirurgien dentiste. à Paris 1728. 8. T. II. p. 207. seqq.

(b) Operum Tom. I. p. 703.

(c) ib. Tom. I. 783.

(d) Medicina militaris. p. 169.

(e) Therap. General. Tab. XVI. 451.

(f) Med. Syst. T. IV. P. III. p. 19.

20 DE DENTIBVS HIPPOPOTAMI.

hippopotami ant - epilepticas vires adscribit, quam & in terrore & in alterationibus corporis a terrore induetas, ne noceat, propinavit ETTMULLERVS. (a) Nempe pro more aliorum hujuscemodi concretorum potenter vitiosa acida absorbet, & hinc mille natis malis confert. Tandem credimus pro interno vnu veros hippopotami dentes longe esse praestantiores rosmari dentibus, cum hippopotamus cibum incolis salubrem, rosmarus autem crudas & insalubres (b) carnes praebeat vescentibus.

F I N I S.

(a) I. c. 783.

(b) Anderson I. c. 232. haec exstant. Ein gewisser Commandeur hat mit seinen Leuten von denen Nieren des Walrusses gegessen, wovon sie alle ganz tumm im Kopf worden, welches sich durch grausame Kopfschmerzen verlohen.





21

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

## DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

JOHANNES FRIDERICVS CARTHEVSER,

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

N*on* ii tantum Medicorum, qui corporis humani  
structuram artificiosissimam, indeque derivan-  
dos motus naturales operosè investigant, qui  
veras etiam ægritudinum caussas magis magis-  
que scrutantur, qui detegendis denique melioribus me-  
dendi regulis sedulam quotidiè operam impendunt, di-  
gni encomiis æstimandi sunt, sed omnes pariter, qui de  
simplicibus medicis seorsim atque uberiorius describendis,  
solideque in primis veris eorum principiis ac viribus  
per examina eruendis solliciti sunt, magnam, me-  
sente, laudem merentur. Si vlla enim Medicinæ pars  
nostro ævo adhuc cultura eget majori, certe Materia  
medica est: Haud desunt quidem scripta varia, in qui-

C 3

bus




bus simplicium patria, forma externa, proprietates sensibus obviæ, atque virtutes numerosæ vel saltem obiter adumbrantur, vel satis prolixè etiam enarrantur; ast, paucissima inter hæc occurunt, in quibus Auctores principiorum modi operandi, ceterorumque, quæ medicum in hoc passu vñice rationalem reddunt, mentionem fecerunt. Facillime atque vberimè, quæ dixi, probare possem atque evincere, si hac vice ad specialem librorum hujus commatis lustrationem excurrere spatium & scopus permetterent; alio nihilominus tempore, aliove loco commodam de hisce fusius disserendi occasionem mihi non defuturam esse spero. Quare memorata etiam ulterius attingere nolo, sed ad ea, quorum gratia hæc pauca præmittere consultum duxi, progrediar. Hodie nimirum, CANDIDATE PRÆ-NOBILISSIME publica diligentiae præmia reportabis, & Doctorandi titulo ornatus propediem ipsos honores Doctorales, quos dudum meruisti, obtinebis. Tua enim desideria in hoc passu nequaquam fuerunt præmatura, dum nonsolum in Academia Lipsiensi, & Halensi, in qua posteriori ante novem pridem annos Te diligentem quoque auditorem memet habuisse recordor, solida in theoria fundamenta posuisti, sed, absculo curriculo academico per sexennium, & quod excurrit, praxin medicam, non absque successu felici, & lata ægrotantium adprobatione Hirschbergæ exercui-  
sti.

sti, vt nunc satis, quid humeri valeant, quid ferre recu-  
sent, exploratum habeas. Faxit proinde sapientissimus  
vniversi Director, vt, singulis hic peragendis prorsum  
peractis, salvus & incolumis in patriam redeas, & in po-  
sterum quoque secundos atque fœcundos in praxi Tua  
experiaris successus: Faxit, vt Ipse constanti animi  
tranquillitate, ac vegeta corporis sanitate semper frua-  
ris: Immo, faxit, quod ex animo precor, vt omnia  
votis meis, Tuæque eruditioni consentanea eveniant,

vt crebrior Tibi gratulandi occasio mihi identi-  
dem subnascatur. Dab. d. XVI. Novembr.

MDCCXXXVII.





01 A 6507


f




TA-706

nur 10. Seite bis vor verknüpft

VDK





DISSE<sup>T</sup>ATIONEM IN AVGVRALEM  
MEDICO PHYSICAM  
DE  
**D E N T I B V S**  
QVI  
SVB NOMINE DENTIVM HIPPOPOTAMI  
IN OFFICINIS VENEVNT PHARMACEUTICIS  
INCLVTI MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV  
A. MDCCXLVII. D. 16. NOVEMBER. H. L. Q. C.  
HABENDAM  
PRAESIDE  
**D. CAROLO AVGVSTO à BERGEN,**  
MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO  
EIVSDEMQUE FACULTATIS h. t. DECANO  
PRO DOCTORIS GRADV  
OB<sup>T</sup>INENDO  
RESPONDENS  
**CHRISTIANVS MELCHIOR BRÜCKNERVS,**  
FISCHBACHIO SILESIUS  
PVBLICE DEFENDET.  
\*\*\*\*\*  
**FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
EX OFFICINA WINTERIANA.**